

DCCCXLII. MALACOTHRIX.

Capitulum multiflorum. Invol. latè campanulatum 2-3-seriale imbricatum, squamis sublinearibus margine scariosis. Recept. nudum. Cor. ligulæ angustè lineares, exter. longiores. Achænia glabra obovata erostria. Pappus 1-serialis, setis linearibus argenteis vix subseratis. — Herba Californica Nejmæ facie sed annua acaulis, junior villis longis albis mollibus barbata, adulta plus minus glabrata. Radix simplex perpendicularis. Folia radicalia rarissimè indivisa, ferè omnia pinnatipartita, rachi lobisque linearibus angustissimis. Scapi erecti cylindrici 1-cephali foliis duplò longiores. Flores flavi in capitulo innumeri. Car. ex flor. non satis evolutis erui. Differt à Soncho pappo 1-seriali. — Nomen ex *μαλακος* mollis et *θριξ* capillus.

1. *M. CALIFORNICA*. (I) in Californiâ legit cl. Douglas. (v. s. comm. ab hon. soc. hort. lond.)

DCCCXLIII. *YOUNGIA* Cass. opusc. 3. p. 86. — *Prenanthis* sp. Thunb. Blum. Wall. — *Chondrilla* sp. Poir.

Capit. circiter 12-rariùs 15-20-florum. Invol. cylindræum 8-phyllo squamis accessoriis circ. 5 calyculatum. Recept. nudum. Cor. ad apicem tubi pilosæ. Achænia oblonga, nunc compressa nunc sæpè in iisdem capitulis subtrigona, longitudinaliter striata, erostria utrinque subattenuata. Pappus pilosus uniserialis filiformis vix subdenticulatus albus. — Herbæ pleræque Indicæ, paucæ Mauritanæ, Japonicæ seu Chinenses, sæpiùs ovatæ glabræ aut basi pubescentes apice paniculatæ. Folia infer. petiolata lyrata pinnatifida seu grossè dentata membranacea, caulina pauca. Capitula parva flava. Habitus ferè *Lampsanæ*. — Genus habitu et characteribus ritè distinctum, sed species omnes ulteriori examine egent.

1. *Y. MAURITIANA*, glabra vix basi pilosinscula, caule erecto apice subnudo laxè paniculato, foliis radicalibus petiolatis membranaceis subruncinato-lyratis, lobo terminali maximo obtuso, caulinis paucis sessilibus, capitulis pedicellatis 15-16-floris, invol. 8-phyllo basi squamulis 5 calyculato, achæniis compresso-angulosis apice attenuatis. (I) in agris et cultis insulæ Mauritiæ legit cl. L. Bouton. *Youngia lyrata* Cass. opusc. 3. p. 86. Species aff. *Y. Thunbergianæ* sed glabritie et foliis papyraceis differre videtur. (v. s. comm. à cl. Bouton.)

β. integrifolia, foliis obovatis sinuato-dentatis. (I) cum var. *α*. *Youngia integrifolia* Cass. l. c. p. 87.

2. *Y. THUNBERGIANA*, infernè villosa supernè glabra, caule erecto tereti simplici, foliis petiolatis lyrato-runcinatis, lobis angulato-dentatis, dentibus mucronatis, paniculâ confertâ subcorymbiformi, capitulis pedicellatis 15-20-floris, invol. minutissimè calyculato 5-phyllo, achæniis compressis striatis apice subattenuatis. (I) in Japoniâ (Thunb.), in Chinâ (h. acad. petrop.). *Prenanthes lyrata* Thunb. fl. jap. 303. Houtt. syst. 9. t. 66. f. 3. *Chondrilla lyrata* Poir. suppl. 2. p. 332. Herba pedalis. Petioli hirsuti. Capitula parva flava. (v. s. comm. ab hon. acad. imp. petrop.!)

3. *Y. RUNCINATA*, glabriuscula, caulibus apice subaphyllis, infernè cum petiolis et nervis foliorum puberulis, foliis runcinato-pinnatipartitis, lobis subtriangularibus mucronato-dentatis acutis, caulinis etiam petiolatis, paniculâ elongatâ laxâ, pedicellis nudis filiformibus, capitulis 15-16-floris, invol. squamis 7-8 margine submembranaceis basi minutissimè calyculatis. — in Nepaliâ et Silhet Ind. or. legit cl. Wallich. *Chondrilla runcinata* Wall. cat. comp. n. 382.